



221E

**Imprimatur**

haec dissertatio, ea conditione, ut simulac typis fuerit excusa, quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XI mens. Maji anni 1850.

Dr. Bidder,  
ord. med. h. t. Decanus.

2  
Bibliotheca Universitatis  
Dorpatensis  
438435

In morborum numero, quos cognoscendi medicis militaribus saepissime occasio offeratur, scabies tum in faciendis itineribus tum in stativis nosocomiis insignem quandam et principem locum obtinet, — at hic tamen, sicuti omnino, qui paululum animum attenderit, haud raro cognoscere poterit, quam facile errores in morborum diagnosi commissi ad curationem incommo- dam inducant, item varias scabiei formas eadem negligentia promiscue sine ullo discrimine vulgo tractari solere animadvertimus. Quae quum ita sint, in conscribenda hac dissertatione, qua mihi nullo modo disciplinae egregie auctae aut excultae laudem vindicaverim, eum maxime propositum habui finem, ut, symptomatis strictius accuratiusque definitis, ad certioream quam quae frequenter adhibetur curam via pararetur.

In corporis humani cute antea nihil a statu normali discrepante parva rosei coloris puncta plerumque tempore nocturno primum animadversa apparent, quae praesertim in manus digitorumque et in pedis ejusque digitorum articulis, et in membrorum plantae flexionis reperta, rarius quidem hic illic passim dispersa, plerisque in casibus autem singulis locis cater-

vatum congregata cernuntur. Eadem in pectore quoque, dorso atque abdomine nonnunquam inveniuntur; dum planta et vola atque corporis partes magis pilosae liberae esse solent. Parvulis hisce rubrisque maculis vix aliquot, postquam exstiterunt, horis circumactis noduli quidam, quas papulas vocant, insident, qui prout aegrotantis habitus universus aut cutis loco affecto constitutio diversa expostulat, modo forma tali exanthematica manent, modo in vesiculas quasdam et pustulas abeunt. Species quam scabies prae se fert primo aspectu summam cum exanthemate illo praebet similitudinem, quod, in balneis obvium, in aquarum hepaticarum usu creberrime observatur<sup>1)</sup>. Cutis affectio nervos ejus sensitivos corripit; qua ex re injucundus admodum et exercians pruritus sensus enascitur, a qua quidem aegrotus locis quibus pruritus percipitur scabendis se vindicare conatur. Quo modo parvis in cute prominentiis divulsis paululum sanguinis ex vasis capillaribus cutaneis exit, quod cum liquore qui forte exanthemate continebatur, crustam sanguineam efficit. Verum accidit etiam ut sponte istae vesiculae pustulaeque dirumpantur, quo facto crusta minus sanguinea tantumque subflavo - griseo colore imbuta formatur. Universus aegrotantis status plerumque nonnisi parum mutatus cernitur, namque uti fere deest febris, ita

---

1) G. Girgensohn, d. Schwefelwasserquellen zu Kemern. Riga 1847. p. 67.

modo in magna nervorum systematis irritabilitate exigua quaedam cognoscitur exaltatio, animalibus et nutritionis pariter atque ingenii et mentis functionibus nullo modo turbatis. — Haec fere solita est et vulgaris exanthematis istius imago, quod vulgus, si ea quam descripsimus forma viderit, scabiei nomine appellatum, ex contagio ortum esse ipsumque contagionem latius propagare censet; dum medicorum est, rem diligentius continua observatione adhibita microscopicis chemicisque rationibus investigare dum certum de illa judicium ferri posse existimet.

Primum autem quo ea inquisitio innitatur argumentum animalculi inventionem positum est, quo reperto certa de scabie diagnosi haud dubie constitui potest. Nam praeter papulas istas, vesiculasque et pustulas, quarum modo mentionem injecimus, cutis superficie accuratius inspecta, in iis, quae frictionibus minus obnoxia sunt locis, in epidermide lineolas tenues, leniter insinuatatas, subrubundo vel albido colore tinctas cognoscere licet, ubi si acus tenuioris acumen sub epidermidem, quam vix editam esse dixeris, immittas, loco qui punctum modo subnigrum modo rubicundum offerens paululum prominere perhibetur, animalculum quoddam deprehenditur, quod inde extractum extemplo motione extremitatum vivum esse cognoscitur. Id, ad arachnidam adnumeratum, nomine *Sarcoptes hominis* appellatur; cujus tamen, infra locus erit, ubi descriptionem diligentiore addamus.

Qui parasitus, postquam ova sua in canali sub epidermide sito deposuit, sedem suam relinquit, toti corpori infectione illata, quae morbosa infectio sub forma exanthematis in conspectum venit. De exanthematis, quamvis non rectâ per sarcopten hominis effecti, forma in libris de medicina sigillatimque de scabie compositis satis magna cognoscitur virorum eruditorum dissensio, quam nos quidem non mirabimur existisse si saepius sero quam mature, saepius in corporis constitutione depravata, quam (pro rata parte) bona illorum observationes institutas esse reputaverimus. Quum autem in genuina scabiei forma constituenda omnium eorum casuum quibus id exanthema complicatum cernitur nulla ducenda sit ratio, quumque vice versa phaenomenon pathologicum simplicius constitutioni validiori adtribuendum fuerit, papulam omnino pro genuina forma habendam esse, consentaneum videbitur. Uti Anglicorum medicorum plerique exanthema illud pustulosum dicunt, ita Gallici vesiculosum nominant, quum nonnulli rursus, uti Willan et Bateman<sup>2)</sup> eruptionem ex papulis, vesiculis pustulisque constitutam, ad pustulas tamen referendam esse judicent, scabiem papuliformem, lymphaticam, purulentam et cachecticam distinguentes, quarum duae ultimae, auctore Bielt, scabiei species non sunt.

2) Pract. Darstellung der Hautkrankheiten nach dem Systeme des Dr. Willan etc. v. Th. Bateman, aus dem Engl. v. Calmann, herausg. v. Ernst Blasius. Lpz. 1841. p. 263.

Rayer, Bielt et Green scabiem exanthema vesiculosum vocant, dum Paget eandem papulis, Plenck<sup>3)</sup> pustulis adnumerat, Weber<sup>4)</sup> et Schönlein ad vesiculas referunt, Petrus Frank<sup>5)</sup> ad impetigines depascentes. Struve duabus varietatibus, altera papulosa, altera vesiculosa, inter sese distinctis scabiem pustularum in numero habet; Hufeland, quamquam exanthema pustulosum dicit, tamen vesiculosi descriptionem exhibet; Canstatt<sup>6)</sup> denique formam vesiculosam genuinam esse contendit. Quodsi tam celebres tantaeque auctoritatis viri papulosam scabiei formam vel omnino praetermittunt vel tantum in transcurso atque obiter commemorant, facile videmur assumere posse papulam, sarcopten hominis in cutis aliquo loco sub epidermide sito apparentem secutam, omnibus in casibus, quamvis nulla interna accesserit noxa, in formam vesiculosam aut pustulosam abire. Verumtamen ne haec quidem opinio eo quo par est modo probari aut defendi potest. Namque etiamsi scabendo pressioneque vestibis exhibita aut medicamentorum cutem irritantium usu talem transmutationem fieri posse, haud infittemur, tamen ea res scabiei papulae nullo modo peculiaris atque propria

3) doctrina de morbis cutaneis. Viennae 1776.

4) de causis et signis morborum. p. 259.

5) Grunds. üb. d. Behandl. der Krankheiten des Menschen. Mannh. 1797.

6) Handb. der medic. Klinik. III. Bd. 2. Abth. Erlang. 1846. p. 1150.

credenda est. Quod si foret, ulcus quoque scabiosum, quemadmodum Selle jam contendisse novimus<sup>7)</sup>, pro genuina scabiei forma habendum esset. Sententiam modo allatae similem etiam Klein Stutgardiae<sup>8)</sup> videtur amplexus fuisse, qui, quum scabiem pustulosam pro varietate quadam propriam curam exoptulante habeat, hanc saltem non eodem quo ceteras ordine ponendam censuerit. Eadem sententia, cui Eichstedt<sup>9)</sup> quoque videtur addictus esse, copiosis observationibus ab Hebra<sup>10)</sup> praesertim in hominibus quorum superiores extremitates paralyti correptae erant institutis satis confirmatur atque certior redditur. — Papula scabiosa basi modice inflammatae, cujus diametros  $1\frac{1}{2}$  vel  $2''$  est, insidet, qua in areola, quum in vicinia ejus nova area novaque papula nascatur, nulla amplius papula existit. Post mortem epidermidis loca edita scabie effecta collapsa esse cernuntur<sup>11)</sup>, quas mutationes scabie provocatas nuper in cadaveribus investigavit cl. Eichstedt. — Cuniculus scabiosus, si quidem nondum diu exstat, speciem offert lineae, leniter incurvatae, paululum editae, albi, griseo-flavi vel ejusdem atque cutis est

7) Medic. clinica, 7te Anfl. Berl. 1797. p. 245.

8) Walther's u. Graefe's Journal f. Chir. u. Augenhlk. Bd. 24. p. 478.

9) Froiep's Notizen 1846. Bd. 39. p. 268.

10) Oestr. Jahrb. 1844. März, April, Mai.

11) Alibert, Besch. u. Abb. der Hautkrankheiten, übers. v. Müller. H. I. p. 33.

coloris, plerumque aliquot lineas, interdum etiam pollicem longae,  $\frac{1}{5}''$  latae<sup>12)</sup>; idem tempore progrediente colorem induit magis fuscum vel punctis nigricantibus insignitur, aut scabendo totus destruitur. Peculiaris atque in scabiei causis perquirendis summi momenti res haec est quod cuniculus scabiosus non semper ibidem, ubi scabiosum exanthema est inventus, saepius ab istius papulis (etc.) majore minoreve intervallo distat; quin etiam quantum ex perscrutationibus ab Hebra institutis elucet, nonnunquam accidit ut cuniculus scabiosus in aliquo reperiatur membro exanthematis scabiosi experti, quum tamen membrum illi respondens vel omnino diversum eruptionem offerat. Fuerunt quidem priore aetate, qui cuniculum scabiosum vellent a papula originem ducere, verumtamen ea opinio tantum aberat, ut vera esse cognosceretur, ut Albin-Gras contraria omnia evinceret. Is enim, pariter atque alii nonnulli, cuniculos scabiosos observavit, qui, quamvis in papulae vicinia essent constructi, nulla tamen cum eadem conjunctione continerentur. At ista, de qua modo diximus, opinio inveterata, quae causae erat, cur sarcopten hominis tam raro prehenderent, eo majorem nobis movere potest mirationem, quod jam Renucci nunquam affirmaverat epizoon in liquore, qui vesicula contineretur, inveniri.

12) Gust. Schmidt, die Hautkrankheiten durch anat. Unterss. erläutert. Berl. 1848. p. 283.

Ejusmodi phaenomenon a cute alienum fieri non potest, quin ejusdem functiones nonnihil afficiat atque laedat. Nervi sensitivi, quorum satis magna multitudo per cutem externam diffunditur, vehementioris pruritus sensum efficiunt, cujus sedes eodem est loco, in quem irritatio ista agit. Qui pruritus fere perpetuus, lectuli calore aut alimentorum irritantium potionumque spirituosarum usu increscens, cupiditatem quandam suscitatur scabendo sibi sensum pergratum dulcemque movendi, quo quidem iste excrucians pruritus sensus longe exsuperari vincique fertur<sup>13)</sup>. Saepius neque ratio neque decencia quidquam valent ad istam cupiditatem opprimendam; vulgoque non voluntario in dormiendo, quasi naturali quodam instinctu impulsus, eam explere homines solent. Mihi quidem ad hoc tempus nondum contigit, ut comperirem, num scabiosum exanthema adhuc intactum plus pruritus eiecit, quam quod formam suam genuinam jam exiit. Biēt vesiculas pellucidas arbitratur omnium maxime pruritus commovere. Ceterum ea proponi potuerit quaestio, ex quam potissimum re iste pruritus dependeat, num contagium vita praeditum (sarcopten hominis dico) dum in corpus invadit suis migrationibus sedeque mutanda, an ipsa scabiosa affectio, ipsum exanthema istum sensum gignat? Ad quam quaestionem etiamsi ad hunc diem a nullo

---

13) Quae est. causa, cur Plato eam affectionem *πλάτος*; *γλυκοπικρον* appellet.

responsum fuit, tamen exanthema in causa esse mihi longe videtur verisimilius: exanthema enim ex sanguine, per contagium quoquo modo mutato, ratione quadam physiologicae epidermidis formationi cutisque transpirationi simili oritur, novaque irritatio periphericam nervorum radiationem tangit, quae irritatio quum sit constans, pruritus etiam aequae constans est tum loco, tum tempore.

Proprius quidam scabiei odor, mucidus ille quidem et cum odore linteorum corpore cubante corruptorum comparandus a Richter<sup>14)</sup> et Haase<sup>15)</sup> commemoratur.

In scabiei decursu frictionibus pressuque vestimentis exhibito prominentiae papulosae cacumen detruditur, quo facto papulae fundo crustula quaedam subflavo aut subfusco colore imbuta insidet, quae videlicet non est nisi exsudatio ex qua papula profecta fuerat exsiccata, jam velamento suo epidermidali exuta. Quam crustulam si quis crediderit necessario cujusvis papulae loco existere, magno is quidem tenetur errore.

Papulae scabiosae, quemadmodum vulgo perhibent, in primis in manuum articulis, inter primos digitorum articulos, in pedum digitis interque eosdem et in membrorum facie flexionis atque in clunium rima apparent. De facie dubitatur, nam, sicuti Willan et Bateman et

---

14) spec. Therap. VI. p. 131.

15) Erkenntn. u. Cur der chron. Krankheiten. Wien 1832. III. § 604.

Hertwig<sup>16)</sup> scabiem ibi reperiri omnino negant, ita Rohde<sup>17)</sup> papulas istas sibi in vetulae mulieris gena observatas esse refert; attamen ea in re non silentio praetereundum erit, exanthema quidem perraro in facie obvium esse, sarcopten autem crebro in mento conspicui solere. Quum enim, sicuti infra videbimus, scabies per contagium fixum propagetur, ullam corporis superficiei partem immunem esse assumere non licet, quae sententia hoc quoque confirmari potest, quod satis frequenter observati fuerunt casus ubi in hominibus sordidis scabies toto corpore dispersa cerneretur, sarcopte tamen in trunco non invento. — Non silendum quoque est de observatione Wilsoni, qui sibi cognovisse videtur, papulam scabiosam in faciebus laterali- bus digitorum magis conicam et acuminatam, in aliis contra corporis partibus, praesertim in manuum articulis, magis rotundam offerre speciem. Quantum Rayer observavit, in infantibus scabies omnium primum in natibus apparet. — Cutis loca laborando aliisque causis incrassata, ac pariter plantae, vix unquam scabie affecta inveniuntur.

Tempus per quod singulae scabiei papulae durant, non ita longum est; plerumque non manent nisi quin-

---

16) Gurlt und Hertwig, vergl. Unterss. üb. d. Haut. 2te Aufl. Berl. 1844. p. 30.

17) de scabie et acaro humano diss. in. Berol. 1836. pag. 7.

que vel septem dies: quibus circumactis, quamvis nulla vel externa vel interna remedia in usum vocaveris, magis magisque corrugantur. Areola illarum ex inflammatione nata tum pallescit tandemque papula nulla crusta remanente collabitur, relicta tamen quadam cutis laevitate, a regionis circumjacentis colore satis distincta, quae et ipsa brevi tempore viciniae cutis speciem induit, ejus glandulis sudoriferis et sebaceis et folliculis capillaribus nullo modo destructis. At pro papula sic exsiccata atque evanescente aliae novae exortae sunt papulae, scabiei extensionem propagantes, qui quidem morbus perpetuis hisce eruptionibus morbi chronici naturam accipit. Quae eruptiones, si assultim et gregatim fiant, vehementiore cum pruritu conjunctae sunt, quo solo in casu leviores motiones febriles, alioquin a scabiei genuinae decursu alienae, ingruere potuerint. Ejusmodi catervatim eruptiones praecipue tempore verno atque auctumno observari, satis constat. Pariter localis scabiei extensio in hominibus robustis celerius, quam in imbecillis succedit. — Morbi acuti, cujus generis sunt inflammationes organorum internorum, sicut pneumonia, nonnunquam ipsum scabiei contagium non extinguunt, externo tamen infectionis morbosae phaenomeno a cute depulso: tum enim scabies subito cessat finitaque inflammatione rursus apparet, nullo tamen, quantum quidem monstrare licet, contagio recenti praegresso. Scabiei igitur quae ratio cum aliis ejus generis affectionibus intercedat,

sine dubio operae pretium est, diligentius examinare. Jam longo abhinc tempore de scabiei metastasibus deque scabie critica loqui coeperunt, quas quidem opiniones a veteri pathologia quasi hereditate acceptas, quamvis postea multis cavillationibus multaque irrisione persecuti essent, omnino tamen contemnere atque aspernari nullo modo potuerunt. Namque, si scabies jam inveterata remediis valde irritantibus celerius supprimitur, organa quae jam prius ad morbosas affectiones proclivia erant, subito corripitur, eaque ratione pulmonum tubercula majore copia decomponi atque mollescere, oedemata nasci ipsamque sequi posse mortem<sup>18)</sup>, id quidem, quum usu et experientia satis cognitum sit, in dubium amplius vocari nequit. Deinde, si quando scabies in affectionis alicujus inflammatoriae aut alius generis decursu ingruerit, istam affectionem in melius mutari pariterque status morbosos qui scabie cessante orientur, uti rheumatismum, cadem exorta rursus sublato esse, — est sane illud quoque tale, quod nunc extra omnem dubitationis aleam sit positum. Nos haec quidem saepissime observata non possumus explicare, nisi scabioso exanthemate cum aliis quibusdam derivationibus comparando, quas, artis ope cutem versus institutas, nequaquam intermitteri aut submoveri posse, inter omnes constat. Hinc evenit uti, quemadmodum

---

18) Etmüller in *Clarus u. Radies Beitr.* II. 1.

Erdmann<sup>19)</sup> testatur, scabies salutarem in habitu universo vim exhibere possit, cujus rei exemplum in infantibus serophulosis invenimus, qui, sicuti jam ante Erdmannum in Livonia a Moritz<sup>20)</sup> monitum fuerat, quum scabie perfuncti sunt, meliorem utuntur valetudinem quam priusquam scabie laborarent. Alii acuti morbi, quorum ex numero scarlatina, morbilli ac typhus adferri possunt, re vera contagium scabiosum, i. e. sarcoptes, prorsus delent, quod quidem inde dicas contingere quoniam ipsa epizoa organismum toxica affectione correptum fugiant<sup>21)</sup>. Pfeufer et Vogt uti saepe scabiem variolae comitem viderunt quae tum mitiorem solito decursum habuit, ita raro cum urticaria, zoster, erysipelate vel scarlatina observabant. — Tempus per quod scabiosa affectio, singularum eruptionum ratione non habita, durat, perquam incertum est, quam ob rem iste morbus inter chronicos referri potuerit. Quamquam plerique observatores scabiem opinantur tantum medicamentis quibus sarcoptes necaretur adhibitis finem capere, tamen in regionibus, ubi crebro obviam habent scabiem, larga praebet cognoscendi occasio, scabiem postquam longius per tempus, plerumque annum et dimidium duravit, sponte evanescere posse<sup>22)</sup>.

---

19) aus der ärztlichen Praxis. Halle 1847. p. 245.

20) specim. topographiae Dorpatensis diss. in. Dorpat 1823. p. 60.

21) Canstatt, op. cit. II. Bd. Erlangen 1847. p. 188.

22) J. Erdmann, l. c. p. 243.

Dum scabie laborant aegroti de magna adversus inferiores temperaturae gradus sensibilitate conqueruntur. — Functiones organorum nutritioni inservientium non secus quam valetudine non turbata procedunt, praeterquam quod Hufeland<sup>23)</sup> insolitum edendi desiderium animadvertisse sibi videtur.

Eae, quarum modo mentionem fecimus, discrepantiae a commoda pro rata parte valetudinis conditione, unica sunt et sola phaenomena scabiei genuinae propria. Quae scabies si quidem jam diutius aegrotum tenuit, etiam insignem quandam ad cutis statum vim habet, quae, quamvis scabie parasitica jam careat, tamen in posterum quoque tempus diutius admodum vulnerabilis manet; unde facile excoitationes atque exulcerationes ortum habent, cutisque ipsa valde sicca, coloris flavi, rugosaque adeo in iis locis, quae scabie tacta non fuerant, cernitur.

Quodsi his ita expositis imaginem genuinae scabiei formae adumbravimus, nihil nobis reliquum est aliud nisi ut varietates singulas contemplemur, quae nescio an etiam crebrius quam ipsa de qua diximus forma genuina reperiantur. Quae varietates magis minusve a specie genuina abhorrentes, ex constitutionis universae variis diversitatibus originem suam repetunt. Nos jure ac merito hasce varietates appellare posse videmur. Est igitur

---

23) Enchiridion, 5te Aufl. Berl. 1839. p. 442.

1. Scabies vesiculosa s. serosa, lymphatica, a Behrend Schneiderkrätze, in Anglia scabies aquatica dicta. Jam ab morbi initio scabies ea vesiculas ostendit, nulla prius papulosa formatione visa, quae vesiculae, maxima ex parte conicae et acuminatae, ad basin suam nullam inflammationem produunt, plerisque in casibus ad manuum articulos sitae. Quae forma quamvis a permultis auctoribus pro genuina sit habita, tamen, quum semper digestionem paululum affectam pariterque uropoësin non prorsus normalem sibi comites adjungat, equidem non possum, quin istam opinionem rejiciam. Ceterum ea varietas, quippe quae non multum afferat molestiarum brevique curae aptae atque accommodatae cedat, ab aegroto omnium facillime tolerari ac perferri potest.

2. Scabies pustulosa vulgaris. Hic verae pustulae scabiosae formationi nulla papulae aut vesiculae formatio antecedit. In cute, simulatque aegrotus injucundum pruritus sensum percipere coepit, maculae subrubicundae deprehenduntur, quae, sicuti majoris sunt dimensionis, quam maculae scabiei papulosae propriae solent, ita in medio prominentiam quandam epidermidis, pure repletam, ostendunt. Pustulam istam si ac rescideris, guttula puris turbidi exprimi potest. Crusta, brevi tempore formata, satis crassa est. Pruritus fere intolerabilis esse dicitur. Haec forma utpote quae praecipue infantes bene nutritos tentare tradatur, saepenumero scabiei pinguis appellatione insignita fuit. —

Ejus scabiei pustulosae gradus vehementior in iis casibus apparet, in quibus una eademque rubicunda areola pustulas complures complectitur, quae, proxime altera ad alteram sitae, etiam persaepe tempore progrediente communi teguntur crustula, sub qua adeo lenis telae cutaneae epidermidi subjectae ulceratio per aliquod temporis spatium continuatur. — Ceterum, quod proprie ad singularum pustularum formam attinet, eas adferre possumus saepius psyracrias, quam phlyzacias esse, ideoque rarius globosas, crebrius conice acuminatas, pustulis ethymathis similes cerni: quae est caussa quod nonnullis in libris discrimen inter scabiem pustulas parvas et scabiem magnas pustulas prae se ferentem sit propositum.

Pro universi status morborum diversitate varia adferre licet discrimina. Est

1. Scabies phlegmonosa. Papulae primariae areola permagna cernitur transitusque in vesiculam, cujus liquor brevi tempore turbidus evadit, celerrime fieri solet. Pruritus non merus sentitur, dolore committante, qui scabendo increscit. Simul persaepe febris, cujus natura inflammatoria est, ingruit. His in casibus, cura saepe non apta adhibita, chronicae telarum serosarum inflammationes oriuntur. — Huc quoque scabies a nonnullis rebellis appellata adnumeranda est, in qua febris vehementissima, cutis intumescencia, calor atque intensio permagna adest; quo accedit ut glandulae vicinae intumescant, affectionesque gastricae

nascantur. Qui status quandam erysipelatis similitudinem referens, per septem vel novem dies continuatus, interdum cutis desquammatione adeoque unguium delapsu finitur, scabie ipsa ex pustulis diruptis crustulam magis minusve crassam efficiente.

2. Scabies nervosa. Corporis constitutio quum sensibilior est, praesertim in puellis atque in mulieribus nobiliore loco natis, exanthema scabiosum initio quidem papulosam formam praebet, brevi tempore tamen in eruptionem ex parvis vesiculis compositam abit, quae vesiculae fere nulla rubicundi coloris areola excellunt. Intolerabilis pruritus sensus tum interdiu, tum noctu quietem adimit, quo adde, quod nervosi capitis dolores, convulsionones, adeoque epilepsia, et catalepsia, aut chorea S<sup>ti</sup> Vili nonnunquam adsunt, miseraeque aegrotae si exanthema istud pertinacissimum in organorum sexualium vicinia sedem posuit, facile ad onaniam impelluntur. Quae quum ita sint, haec potissimum varietatem Celsus<sup>24)</sup> nomine ferae, ferinaeque denotasse credendus est, vocabulo graeco *ἀργείαν* appellatam.

3. Scabies purulenta, a Behrend scabies aquatica dicta, in Anglia variolosa. Quae est varietas pustulosa, impetiginis atque ethymatis pustulis simul orientibus complicata, quarum posteriores etiamsi in universum facilius a cute recedant, tamen singulae longe diutius quam priores durare solent. Scabiosae pustulae

24) de medicina libri VIII. Ed. Bipont. 1786. p. 342.

eo excellunt, quod liquor quem continent colorem quandam sordidum turbidumque sibi peculiarem vindicat areolaeque circumjecta satis ampla est atque universa cutis plena succi esse videtur. Quae pustulae, si quidem rerum conditio adjuverit, facile ulceribus formandis ansam praebent.

4. Scabies cachectica, aurigalis, vulgo scorbutica nominata. Corporis constitutio quum est dyscrasica, praesertim in vitiosa ciborum sumptorum assimilatione sanguinisque formatione, in cute ob illas causas aspera, sicca et male olente, denique in magna immunditie ac squalore scabiosae papulae satis prope altera ad alteram sitae cernuntur, areola coloris intense rubri circumdatae. Baseos, cui papula scabiosa inhaeret, intumescencia sensim ac paulatim adaucta, nodulum extollit, indeque ipsa, in suppurationem abiens, parvi furunculi in superficie positi speciem prae se ferre solet; quo quidem vi aliqua externa divulso, pus inde emittitur, quod coagulatum crustulas turpes, colore fusco aut viridi, et crassitudine haud mediocri praeditas ac saepenumero satis late cutem obtegentes, efficit.

5. Scabies rhyphia. Haec varietas, omnibus ceteris longe fastidiosior, praecipue in inferioribus corporum diutissime sordibus squalentium extremitatibus invenitur. Maculae colore fusco-rubro tinctae, eadem, atque dimidia aut solida copeca magnitudine praeditae existunt, quibus pustula insidet scabiosa, quae, insigni celeritate accrescens, pus discolor eicit

crustaeque crassiori coloris fusco-rubri aut intense fusci efformandae ansam offert. Scabies perraro in forma primaria, quam modo descripsimus, acquiescit, sed sub ista crusta ulceratio viget, quae, prout ars auxiliatrix ocius seriusve, efficacius negligentiusve agit, vel superficiem solam tangit vel altius descendit saepiusque eventum habet maxime horrendum. Infra nonnulla de ulceribus scabiosis adjiciemus.

Hoc ab loco non alienum fuerit, observationem, quae etiam praemitti a nobis poterat, adjungere ad diagnosim varietatum modo commemoratarum plurimum valentem; qua rarissime videmus unam tantum istarum varietatum aut ipsam genuinam scabiem solam corpus afficere, verum plerisque in casibus mixtas quasdam reperiri formas quibus tum vel speciei praevalentis nomen aut appellationem compositam attribuere licet. Sola forma pustulosa haec est, quae ejusmodi mixtione saepissime careat.

Denique, ne quid praetermississe videamur, dolendum esse existimamus quod vetus ista divisio, qua scabies sicca et humida distingui solebant, etiam hodie in compluribus, quae artem medicam tractant, operibus obvia sit tam frequenter. Scabiem siccam enim eruptionem talem dicebant, in qua vesiculae siccatae in crustas abirent, creberrime in dorso, in brachio, femore et parietibus abdominalibus repertam; scabiem humidam contra, in qua exanthema primitivum vesiculis diruptis liquidum quoddam corrodens emitteret, quam quidem

sam etiam originem scabiosam habere posse contendit<sup>28)</sup>. — Inita primum pubertate aequae scabies morbus est longe difficilior ad ferendum, quam simul atque in corporis evolutione pro rata parte quietis quoddam tempus adest. Illa aetate si scabies in vicinia organorum sexualium sedem fixit facile accidit ut pubescentes onaniae adsuescant, vel saltem in virgine menstruationum, in mare pollutionum initium nimis maturetur. Feminis gravidis, quae ex scabie oriri solet nervorum irritatio summae pernicii esse potest: unde fit ut in tali rerum condicione non raro abortum patiantur. Puerperis autem, quae tum necessaria est, quies pruritu, sudore puerperali adeo aucto, assidue turbatur. — E contrario in senibus scabies decursum init multo lentiolem; quae tamen causa est cur, eo saepius neglecta, sensim latius latiusque serpat, ut, ad postremum curae postea adhibitae pertinaciter repugnans, non nisi tardissime evanescat.

Quod attinet ad scabiem, quae singulis corporis partibus exoritur, hoc loco de

Psorophthalmia, Ophthalmia psorica necesse est agatur. In libris compendiariis veterioribus, qui conscripti sunt de medicina ophthalmica, nomine psorophthalmiae saepe non significatus est morbus scabiosus, uti in libro Arnemanni, qui ophthalmiam pruriginosam palpebrarum ita quidem nuncupat, sed hanc ipsam

28) Bressler, die Kinderkrankheiten. Berl. 1842. p. 519.

formam ducunt longe usitatissimam. Attamen Karsten chirurgus, quemadmodum ex ea, quam profert<sup>25)</sup>, descriptione patet, vocabulo scabiei siccae (tenuis, acuminatae) papulosam designare solet, nomine humidae (magnae, suppurantis) pustulosam ejus eruptionem significat; quae tamen appellationes jam apud Selle<sup>26)</sup> leguntur. — Vulgus plerumque scabiem pinguem et siccam discernit<sup>27)</sup>.

Jam nobis non restat, nisi ut de scabiei in diversis vitae conditionibus singulisque locis conformationem mentionem inferamus. Symptomata supra commemorata aetas adulta propria sibi vindicat.

In infantibus morbus decursum habet multo rapidiorem quam in hominibus jam adultis; namque peripherici nervorum fines irritationem extrinsecus inlatam longe vehementius persentiant, id quod multorum spasmi generum causam adferre potest. Deinde quod in infantibus, ne cutem perfricent, multo minus prohiberi potest saepiusque illi squalent immunditiae, scabies breviori temporis spatio ad secundariam ulceris formam increscit. Autenrieth crustam serpiginosam pro scabiei efflorescentia habet, suam ac propriam cuique aetati formationem vindicans; cui quamquam Henke et Haase adversarii exstiterunt, tamen Heim crustam serpigino-

25) üb. die Krätze etc. p. 9.

26) op. c. p. 245.

27) Bergmann, die Krankheiten der Haut, Haare u. Nägel. Lpz. 1842.

deinde tamquam impetiginosam describit: namque dicitur ea oriri e glandulis Meybomianis, quae rumpi videntur et materiam euittere acrem, quae marginem palpebrarum erodat. Jam Radius ophthalmiam senilem, lippitudinem saepius psorophthalmiam appellatam esse refert, nulla subjecta causa propria s. specifica<sup>29)</sup>. — In limbo palpebrarum anteriore — propterea quod in eum locum facillime videtur transferri posse contagium, quum ibi tenerrima sit epidermis — papulae apparent scabiosae nobis notae, quae jam propter naturam loci ad vehementer scabendum ac terendum irritant, unde fit ut ulcera parvula, rotunda, acriter limitata formantur, quae halone rubido cincta sunt atque secretum edunt rodens, quod in crustulas subfuscas obdurescit. Scabies inde a limbo palpebrali perbreui ad conjunctivam palpebrarum progreditur; palpebrae simul turgidae sunt. Hoc etiam addam, paucis iis casibus quos mihi contigit ut observarem ubi exorta erat scabies in conjunctiva palpebrarum atque semel in conjunctiva bulbi in angulo oculi interiore, tantummodo formam vesicularem me conspexisse, quamquam limbus palpebrarum papulas scabiosas praebat. Pruritus sub calore fit molestior, atque, si conjunctiva bulbi afficiatur, turbata cernendi actio aut saltem photophobia ac-

---

29) Handwörterbuch der ges. Chirurgie u. Augenheilk. herausg. v. Walther, Jaeger u. Radius. Lpz. 1839. IV. p. 764.

cedit. Interjecto non multo tempore cilia cum radice et ea, quae exortis formationibus exanthematicis continentur, sensim excidunt, ut alopecia sequatur: alias fieri potest ut margines tarsales procedente tempore ac pro cursu psorophthalmiae fere semper chronico denegerent, ut oriantur et ectropia et entropia, — atque ut cilia si regenerentur propterea simul distichiasi et trichiasi locum praebeant. Ceterum psorophthalmia nunquam nisi inter homines reperitur qui in summa egestate et squalore vitam degunt, uti praesertim in Polonia et Lithavia<sup>30)</sup>. Ruete contendit quascunque observaverit blepharophthalmias cum iis junctas symptomatibus, quae psorophthalmiam significare dictae sint, has scrophulosae originis sibi visas fuisse<sup>31)</sup>.

Organon alterum, quod peculiari modo scabie afficitur, est organon sexus. Jam supra satis actum est de symptomatibus ac de rebus sequentibus, quae scabiem hoc loco comitantur. Data mihi nuper occasio est scabiei in praeputio semper retracto atque in glande penis videndae: papulae scabiosae ibi quoque ut in reliqua corporis cute eadem erant specie, halo tantummodo major quam illic videbatur; divulso epithelio quibusdam locis ulcuscula orta erant, quae aegrotum

---

30) Jüngken, die Lehre von den Augenkrankheiten. Berl. 1832. p. 299.

31) Lehrb. der Ophthalmologie. Brschw. 1845. p. 551.

adduxerant ad me rogandum, ut morbum ejus venereum curarem. Etiam Hebra scabiem in pene animadvertit.

Scabiem in membrana tympani auris ad hoc tempus frustra conatus sum observare.

Scabies sive vi naturae medicatrice sive auxilio artis sublata fuerit, nihilo magis tamen sanitas restituta non solus est exitus scabiei: immo potius non raro eam, forma remota principali, speciem inducere videmus ulceris scabiosi; etenim nascuntur

Ulcerata scabiosa s. psorica, Krätzgeschwüre. Ulcerata scabiosa plerumque sunt rotunda, margine crassato, circuito in modum erysipelatis colorato, qui papulas prae se fert proprias aut saepius bullulas ac pustulas, fundo non depresso subrubro, qui secreto tectus est albido mucoso, crassiore. Idem secretum in crustulis exsiccescit fulvas, sordidas, et odorem spargit gravem, peculiarem, nec non contagium transferre falso dicitur. Pruritus praesertim sub calore lectuli acerrimus est et quasi urens esse describitur. Cheilus<sup>32)</sup> ea ulcera repressa scabie primaria oriri arbitratur, id quod maxime est dubitandum. In universum autem perraro tantum ulcera scabiosa observandi occasio offertur.

A viris multis discrimen scabiei propositum est, quod si pro foro literarum ageretur, multas certe con-

---

32) L. c. p. 493.

troversias excitaret, scilicet discrimen inter scabiem localem et constitutionalem. Exanthema scabiosum morbus est cutaneus, ideoque nihil interest, quo modo oriatur: quum vero ea distinctio genesin scabiei spectet, iudicium ideo in unam alteramve partem necesse est inclinet, tertium non datur: aut enim contagium in corpus recipitur, idque ab aliis contagiis tantum eo differt, quod est animal vivum, ac nos infectum esse sanguinem statuimus, ex quo scabies in cute pendeat; — aut exanthema scabiosum ex ipso ictu ortum est acari in cutem penetrantis in eaque morantis, ac genesin statuimus proprie localem, genesi similem ictu apis effectae. Sed haec locum habent in capite de aetiologia inscripto.

Campum multo ampliorem observationis eruditioris complicatio praebet scabiei cum cachexia. Exploratum quidem adhuc non est, quibusnam certis morbi formis nomen imponendum sit cachexiis, at hae utique videntur esse, quarum natura mutatione substrati cujusdam vitalis, i. e. sanguinis pathologico-chemica nititur, ex qua affectiones morbosae secretorum ac formationum novarum, quales significatione longissima intellexeris, proficiscuntur. His morbis scabies persaepe conjungitur, qua orta complicatione plurimum formae genuinae amittit. Quae res perdifficilis parum adhuc explicata est et illustrata, ut equidem modo valeam quasdam exponere complicationes, quae creberrime sub adspicium cadunt.

Cum scrophulosi scabies saepissime invenitur complicata, praesertim in officinis industriae, laboris assidui operosi, ubi opera difficilis, egestas, mores corrupti consociantur, ut genus hominum miserimum educetur. In regionibus iis, quibus viget opera fabrilis, imprimis scabiem rhypiam persaepe in hominibus torpide-scrophulosis oriri ibique plurimum extensitatis et intensitatis quae sane miseranda est videmus attingere. Inter alios Scharlau<sup>33)</sup> acarum scabiei non adjunctum esse docet huic complicationi scabiosae: quae sententia non aliud spectat, nisi ut jam a priori exanthema illud non habeatur scabiosum, quum ex eo quod adest idem parasitus fere unicum duci possit criterium scabiei. Formatio scabiei genuina praesente scrophulosi ita plerumque immutatur ut sub specie scabiei pustolosae appareat atque celerius quam alia conditione formam induat ulceris; — nec non etiam ea complicatio tractationi efficaciori maximas objicit moras, quam ob rem curatio quae utriusque morbo singulos homines afficienti eodem tempore adhibetur, necesse est animadversionem subeat accuratam, quum hic potissimum campus sit in quo orientur scabiei metastases quas vocant, i. e. sequelae maturius repressae jam consuetae in cutem derivationis latius pateant.

In hominibus scorbuto correptis, si in universum spectas, scabies raro occurrit, id quod demonstrant

33) üb. d. Scrophelkrankheit. Berl. 1842.

nosocomia nostra marina, in quibus scorbutus magno-pere grassatur, scabies vero perraro apparet, unde contenditur potest vitam maritimam, vestimenta pice satiata impedire quominus scabies crebrescat. Sin vero accedit ea complicatio papulae conspiciuntur scabiosae, halone cinctae tenui subcaeruleo, e caeruleo rubenti vel nigricanti, atque, si divelluntur papulae, sanguis ex unaquaque papula evidenter profluit, id quod non accidit praesentibus forma propria aliisque complicationibus: quod sanguinis profluvium causam adeo potest inferre, ut remedia styptica adhibeantur. Si quando pars aliqua cutis multis papulis obsita graviter est exulcerata, ulcus ibi plerumque evolvitur scorbuticum superficiale, cui, si sanguis largius effusus sit, signa ulceris scabiosi prorsus absunt. Scabies ea scorbutica perraro occurrit in parte dimidia superiore superficiei corporis, sed plerumque tantum in extremitatibus inferioribus et in alvo. Symptomata scorbuti semper fere tum demum, quum exanthema scabiosum aliquamdiu perstiterit, eodem ipso conspicua fiunt. Sententia Eisenmanni<sup>34)</sup>, qui scabiem scorbuto removeri ac tum demum, quum scorbutus evanuerit, denuo comparere affirmat, explicatione nisus a Schoepf<sup>35)</sup> tradita, atque etiam placitum J. Ipereni<sup>36)</sup> contagio scabiei scorbu-

34) Vegetat. Krankheiten. Erlangen 1835. p. 506.

35) Hufeland's Journ. XV. St. 2. p. 44.

36) Acta soc. Harlem. T. VI. p. 367.

Inter complicationes ad statuendam diagnosin difficillimas complicatio habetur scabiei cum aliis exanthematibus chronicis, imprimis cum herpete. Sauvages varietatem propriam scabiei nomine scabiei herpeticæ proponit. Cursus utriusque exanthematis æquis intervallis porrecti non ita respiciendus est, quam is casus, quo vita cutis exanthemate papuloso, bulloso vel pustuloso chronico non parasitico jam adeo mutata est et a norma deflexa, ut scabies recens, exorta solum quasi insuetum attingere cogatur. Haec complicatio saepius reperitur in sedibus paupertatis et immunditiæ, inter Judæos et Slavos occidentales, apud infimam plebem in magnis urbibus et in carceribus publicis. Crediderit aliquis cutem degeneratam, quæ in exanthematibus chronicis epidermidem sibi induat magis crassificatam, contagio morbi scabiosi plurimum impediendi afferre, atque inde concluderit, hoc casu exanthema scabiosum necessario rarius adesse: sed non est ita, etenim hoc ipso casu vis contagiosa acari scabiei manifesta apparet: quodsi perpaucis tantum locis superficiei corporis acaro contingit ut in cutem se inferat, nihilo minus tamen eruptio scabiei late serpentis inde efficitur, quæ insignis est concitato pruritu et decursu peculiari singularum papularum vel bullarum vel pustularum, imprimis vero facultate contagii propagandi, nec non eo quod cum sarcopte simul existit et paulo post evanescit quam sarcoptes remediis idoneis extinctus est. Aegroto ea complicatio admodum est

tum sanari, — a Krebel, qui librum scripsit de cognitione et sanatione scorbuti<sup>37)</sup>, satis refutantur.

Cum syphilide quoque scabies complicatur, ita quidem, ut homines veneno venereo insitione translato infecti postea contagio scabiei adficiantur: quæ morbi forma scabiei venereæ omnino nominari potest, dum nimirum scabies venerea e iudicio Ricordii admitti non potest. Scabies venerea, quæ est nostra sententia, initio formam induit partim papulosam, partim ac rarius pustulosam, plerumque per totum corpus crebrescit atque origini exanthematum syphiliticorum et ulcerum cutis locum præbet, quæ symptomata omnia eorum morborum, quibus excitantur, jam exuerunt: unde dictum Henckii<sup>38)</sup> fieri non posse ut de indole syphilitica hujus complicationis scabiosæ certum iudicium feratur, nequiquam probabile videtur. Tractatio ejusdem complicationis semper diuturna est, præsertim quum suscepta syphilidis curatione congestio sanguinis ad cutem atque igitur dilatatio scabiei adjuvetur et augeatur; ceterum hæc tamen parum crebra est<sup>39)</sup>. Ab homine qui scabie syphilitica correptus est nonnunquam tantum sola scabies in alium hominem transferri potest: ergo acarus scabiosus morbi complicatione non fit contagium complicatum<sup>40)</sup>.

---

37) Lpz. 1838. p. 47.

38) Lehrb. der gerichtl. Medic. 10te Ausg. Berl. 1841. p. 169.

39) cf. Gaz. des hôpitaux. 1846. Nr. 4.

40) Erdmann, op. c. p. 244.

molesta, nam tritu, irritatione totius systematis nervorum sensibilis neque unum, neque alterum exanthema consanescit; sicubi papula scabiosa, plerumque pustula scabiosa exorta est, facile divellitur atque non vulnerationem cutis ut alias superficialem efficit, sed rimas profundiores margine corneo, praecipue inter digitos, in plicis cutaneis carpi, in digitis pedum.

Alias scabiei complicationes hoc loco afferre non idoneum mihi videtur, quum in illis, quas commemoravi aut scabies per complicans aut complicans per scabiem immutetur; quoties vero currentibus aliis morbis scabies accedit, ipsa per se cursum tenet, parum curans, utrum adsit an absit aliud malum: quodsi interdum etiam ea vis mutua, velut certamen vitae et mortis, inter utrumque morbum accidit, jam illius ibi fit mentio ubi de metastasibus, quae falso dicuntur, et de scabie critica agitur.

Jam etiam breviter astringam complicationem scabiei cum eczematate et ecthymate, quae exanthemata si ex aliena scabiei curatione remediis externis irritantibus exorta sunt imprimis in hominibus plethoricis, sanguinicis adeo in furunculos abeunt atque multis casibus ad statuendam scabiem pustulosam ansam dederunt; at vero papulae scabiosae semper sejunctae apparent a vesiculis eczematosis et pustulis ecthymatosis eodem tempore nascentibus <sup>41</sup>).

---

41) Rohde, op. cit. p. 22.

Hoc modo etsi multis verbis de scabie diximus, attamen ad eandem certius cognoscendam etiam opus est diagnosi differentiali, expositione signorum peculiarium quibus scabies distinguatur ab aliis morbis cutaneis similibus, — qualis expositio praecipue tempore antiquiore maxime erat necessaria atque ad minutissimam et anxiam diligentiam ac subtilitatem reduci debebat. Tamquam discrimen maximum praemitenda est exploratio acari scabiei, qui unus certam praebet diagnosin scabiei, quum eadem genesis contagiosa non alteri morbo cutaneo nedum aliusmodi morbis obveniat: cui existenti acaro limes etiam sordidus subruer, paulum editus, incurvus necessario conjungitur. Praeter hoc fulcrum diagnoseos aliae etiam afferendae sunt differentiae, ut imago scabiei quo quis satius cognoscat expressior et magis perspicua evadat. Ut distinguatur psora a prurigne formicanti, qua propter prurimum sub calore vehementiorem forsitan facile possit permutari, plerumque allatum est, psoram solum prurimum, pruriginem vero ardorem excitare, pruriginem esse exanthema papulosum, psoram non esse, ergo hac in re microscopio simplici aut sensu subtili digitorum extremorum utendum esse: at vero primum psora genuina si faciem spectas, sub forma papulosa apparet, deinde in prurigne formicanti non raro vesiculae exstant; tum nulla ei inest vis contagii propagandi; prurigo praeter dicitur hereditaria esse, scabies minime; denique ubi prurigo adsit summae cuique papulae divulsae, ut tra-

dunt, crusta sanguinis rubra adhaeret, — qualis est vero crusta tenuis, quae papulam scabiosam divulsam et attritam contegit? nonne etiam fibrinum est coagulatum, exsiccatum, quod globulos aliquot sanguineos in se conclusos teneat; si adsit prurigo papulas dicunt in ea parte qua extremitates tenduntur, si scabies in ea qua illae flectuntur haerescere, imprimis vero pruriginem in dorso et in humeris conspicuam esse — id quod iis quae supra dixi de successu scabiei parasitorum in omnibus locis haud omnino congruit. Ceterum vero si quis medicinam facitet inter milites atque in carceribus publicis, nec non inter quasdam gentes distinctio scabiei a prurigine maximi sane momenti est, sed nimis adhuc videtur neglecta esse, ita ut in cubiculis militum qui scabie sunt affecti fere tertia pars aegrotorum e prurigine laboret, quae unguento sulphurico maxime usitato etiam augetur. — Lichen chronicus papulis magis agminatim dispositis a scabie differt; quod vocabulum „agminatim“ (gruppweis) quamvis sit relativum si basis inflammata non conceditur agmini, quae halonem colore et superficie editiore insignem circa illam format, at non minus tamen constat, etiam scabiem in hominibus sordide viventibus agminatim oriri posse; praeterea vero gradus quidam affectionis communis in lichene adest, qui deest in scabie. Lichen simplex partem dorsalem manuum et partem anteriorem articularum praecipue occupat; lichen urticatus intervallis satis conspicuis apparet. — Si modo leviter disquisiveris,

facillime fieri potest ut scabies pro eczemate chronico habeatur: quod exanthema, aequae ac scabies, in parte plerumque tenera, qua extremitates flectuntur, optime provenit vesiculasque format, quae sero complentur, ut in scabie quae dyscrasia serophulosa fit complicata, vesiculae divulsae crustis obducuntur, quae simillimae sunt crustis scabiosis; at semper tamen deest acarus, signum praecipuum diagnosise, atque cuniculus tenuis, sedes illius. — Impetigo exanthema est penitus pustulosum; pustulae non praecipue haerent in manibus, pedibus et in partibus iis ubi extremitates flectuntur; facultas contagii propagandi nulla conspicitur; pruritus omnino deest. — Ecthyma itidem exanthema est penitus pustulosum, quod a scabie purulenta differt basi dura, edita, rubicunda vel livida, processu tardo singularum pustularum, origine ulcerum profundiorum, formatione crustarum depressarum, deficientibus pruritu et facultate contagii propagandi. — Adpectus brevis eruptionis cutaneae nunquam omnino homini cuique ad artis praecepta revocato potest sufficere, sed opus ei est animi solertia, oculo et manu bene munitis, ut finem quaesitionis quem sibi proposuit veritatem consequatur. — Non possum huic capiti exitum addere, ut mentionem non faciam scabiei verae ab irritatione cutis secundaria maxime distinguendae, quae tamen, si quis scabiem praesertim diutius methodo frictionis tractaverit, facile oriatur. Quae eruptio secundaria vesiculas exhibet halone roseo

cinctas; adhibita frictione hae vesiculae eliduntur atque eruptio speciem paene scabiosam induit, neque autem vera scabies est. Huc etiam referenda est scabies balnearis <sup>42)</sup>.

Denique accedit, ut homines pauperes, captivi, milites, quo facilius nosocomiis recipiantur, postquam acubus materia qualibet acri imbutis commissuras digitorum aut partes interdigitales sibi pupugerint, scabiem simulent, quae fraus vero mox animadverti potest.

Haud injucunda profecto esset descriptio scabiei ethnographica, attamen in campum nos abduceret infinitum, cujus tractatio omnino parum utilitatis redderet. Bateman <sup>43)</sup> quandam scabiem indicam, quam Sauvages nuncupavit, his verbis explicat: exanthema valde cumulatatum est et extensum, cuti colorem inducit austerioriorem et sordidiorem, quam scabies vulgaris, cum impetigine persaepe apparet complicata, pruritus in eo vehemens, contagium perquam celeriter propagatur atque remediis pertinacissime repugnat. In libris francogallicis saepius fit mentio de scabie Beduinorum, quae multa amplectitur exanthemata; haec Gallos in Algeria non raro afficit, ubi adversus morbos internos tutamentum esse putatur. — Epidemiae scabiosae a multis medicis veterioribus descriptae et ab Ozanam <sup>44)</sup> collectae sunt.

42) cf. Rohde, op. cit. p. 22.

43) l. c. p. 270.

44) Hist. méd. des maladies épidémiques. Par. 1823. V. p. 233.

Perjucunda et quae aream quaestionibus latiore suppeditet observatio est scabiei in corpore animali, praesertim in diversis pecudibus domesticis, in quibus solis ex toto animalium grege ad hoc tempus morbus ille conspectus est. Concedatur animalia ea, quorum vitae consuetudines et domicilia homo imperio suo adhuc non potuit subjicere, uti omnino rarius morbis obnoxia esse, ita parasito illi contagioso qui aërem liberum purum reformidare videtur rarius refugium aperire quam animalia quae in eratibus tantum et stabulis sub educatione artificiosa degere coguntur. Morbus scabiosus animalium nomine scabritiae (Räude) appellatus est, qua in scabritia jam dudum cognita et descripta acarum scabiei constat certissima ratione repertum esse, ut nihil jam dubii relinquatur, num scabritia animalium eadem sit quae scabies hominum; et denique Hertwig, qui bene de ea re meruit, scabritiam per ipsum acarum atque adeo ab animali in corpus humanum transferri demonstravit. Jam hic locus non est, quo scabritia in diversis animalibus domesticis accuratius examinetur. Contagio scabioso ab animalibus in homines translato exanthema scabiosum oritur admodum luxurians, cujus papulae, vesiculae et pustulae arctius inter se positae sunt, basim praebent inflammatae et aliqua ex parte duriores quam quum contagium ab hominibus in homines propagetur; id quod jam Bateman <sup>45)</sup> descripsit et depinxit, quod de Gem-

45) l. c. p. 270. et Tab. XXIV. fig. 3.

meri<sup>46)</sup> et Fingerhuth<sup>47)</sup> referunt, quorum alter contagium a porco, alter a fele transferri vidit, quod denique, quum inter canes et equos scabritia late percrebrescat, apud eorum custodes cuilibet observandi saepe offertur occasio.

---

46) Caspar's Wochenschr. 1835 Nr. 38.

47) ibid. Nr. 5.

## Actiologia.

Num Rhazes († a. 932 p. C. n.), qui quasi pater dermatopathologiae habendus est, scabiei naturam accuratius cognoverit, non satis constat. Avenzoar (rectius *Ibn-Zohr* † a. 1162 p. C. n.), medicus doctissimus et praestantissimus sui temporis, quem etiam nunc admiramur, jam edixisse traditur, in scabiei vesiculis et pustulis animalculum vivum inesse; attamen, quum Arabum ars medica paulatim interiret, etiam haec cognitio ejus oblivioni tradita est. Neque vero defuerunt, qui scabiem accuratius observarent, v. c. Jacobus de Partibus, qui seculo XIV Parisiis nosocomium instituit ad curandos aegrotos morbis cutis (praecipue lepra) laborantes. Primum Scaliger (a. 1537), deinde Joannes Philippus Ingrassias, Sicanus († a. 1580) illam Arabum doctrinam de animalculo in scabie rursus susceperunt et magis excolere studuerunt; hos viros secuti sunt<sup>48)</sup> Gabacinus, Laurentius Joubert, alique scriptores seculorum XVI et XVII, et Mofet ipse praeclaram cognitionem hujus rei sibi paraverat. Ejus temporibus Germani hoc insectum nominaverunt "Seuren., Deinde haec rei operam navaverunt Augustus Hauptmann<sup>49)</sup>, medicus Dresdensis, et Mich. Etmüller major (a. 1682). Tum memoratu dignum est Hyacinthus Cestoni, vir doctissimus, cujus declarationem, exstare acarum scabiei, Bonomo, medicus Liburnicus, in epistola ad alium virum doctum nomine

---

48) Cf. Mofetii theatrum insectorum. 1634. cap. 24.

49) Cf. Uralter wolkensteinischer warmer Bad- und Wasserschatz. Lpzg. 1657. p. 154. c. Tab. Hafenerffer, Nosodochium, cutis affectus. Ulm 1660. p. 77.

Redi missa a. 1683 divulgavit et Lazoni in Latinum sermonem vertit<sup>50</sup>). Sed quum instrumenta, quibus oculus in explorando adjuvaretur, illis temporibus admodum imperfecta essent, fieri non potuit, quin etiam cognitio hujus rei observationibus microscopicis fulcienda manca atque incerta esset, et magis tantum in hypothesibus et conclusionibus e praemissis parum certis deductis contineretur. Tempori recentiori, quod non immerito technicum appellatur, reservatum erat, ut etiam per hunc campum adhuc magis minusve tenebris obrutum veritatis lucem spargeret. Pallas (a. 1760), Linné<sup>51</sup>), de Geer<sup>52</sup>), Wichmann<sup>53</sup>) († a. 1802), Osiander, Latreille maximo studio et summo ingenio naturae scabiei cognoscendae operam dederunt, et Linné acarum scabiei salientem ita adamavit, ut in opere suo „Genera morborum“ Upsalae a. 1763 edito affirmare non dubitaret, multa exanthemata, tussim convulsivam et pestem orientalem hoc animalculo provocari; neque vero ille acarum farinae ab acaro humano distinxit. Plenck acarum in scabie invenit, quam peculiarem scabiei formam ille scabiem verminosam nuncupavit<sup>54</sup>). Galès, medicus

50) Hic vir repetit e lexico Academiae della Crusca, teredinem, qua cutis hominum scabie affectorum obtegatur, animalculis constare, atque affert sententiam, quam Josephus Laurentius in Amalthea sua proposuit, acarum sive teredinem esse vermiculum subcutaneum. Cestoni narrat se animadvertisse, mulieres e cute liberorum suorum scabie affectorum apice acus aliquid extrahere, quod inter digitorum unguis contritum leviter crepitaret, et servos scabie laborantes Liburni sibi invicem hoc officium praestare. Hac re commotus ille liquorem in scabie vesiculis crusta nondum tectis disquisivit et microscopii auxilio animalculum vivum invenit, atque adeo affirmat, se illud capite acuto sub epidermidem subrepens et ovum pariens vidisse.

51) Exanthemata viva 1757, et Amoenit. acad. Holm. 1760. III. p. 333, V. p. 95.

52) Mémoires pour servir à l'histoire des insectes. T. VII. 1778. (imago laudanda est.)

53) Aetiologie der Krätze. Hannover 1786.

54) l. l. p. 42.

nosocomii Sti Ludovici, die 26. mens. Maji a. 1812 Parisiis praesentibus viris, qui illo tempore principes in ordine medicorum universitatis Parisiensis erant, primus acarum sub microscopio separatim demonstravit<sup>55</sup>), et postea iisdem viris testibus in se ipso et pluribus pueris experimenta insitionis, infectionem per acarum evidentissime probantia, instituit<sup>56</sup>). Nova doctrina de scabiei natura statim a multis impugnata est; pathologi clarissimi illius temporis in arenam descenderunt, atque certamen Parisiis, quae urbs tunc temporis praecipue litterarum medicarum quasi sedes et domicilium erat, ad finem perductum est. Bielt, Rayer, Cazenave, Schedel, Carolus Guiljelmus Stark, professor Jenensis, Bateman contra sententiam, exstare acarum scabiei, qui infectionem adduceret, pugnaverunt, et praeterea, se animalculum ejusmodi, quamvis diligentissime quaesivissent, invenisse negaverunt; Alibert quidem acarum scabiei exstare concessit, sed eum ad transferendam scabiem ex homine in hominem quidquam conferre negavit, insectumque sequelam exanthematis esse censuit<sup>57</sup>). Lugol huic experientiae oppugnationi se opposuit, et quum post medicum illum nosocomii Sti Ludovici, cujus supra mentionem fecimus, acarus scabiei a nullo viro docto aperte conspectus esset, ei praemium proposuit, qui primus hoc animalculum denuo reperiret. Eodem tempore A. de Humboldt et Bonpland<sup>58</sup>) narraverunt, in regionibus circa fontes fluminis Orinocco sitis speciem acari epidermidem perfodere et intolerabilem pruritus provocare atque ab incolis unguento e sulphure et adipe crocodili Americani parato necari. Renucci, Corsus, qui a. 1834 Parisiis arti medicae studuit, recordatus est in patria sua incolas scabiem eo extinguere solere,

55) Essai sur le diagnostic de la gâle. Paris, 1812. p. 19.

56) l. l. p. 25, et ejusd. Mémoire et rapp. sur les fumigations sulfureuses. Paris, 1816. p. 2.

57) l. l. p. 28.

58) Alibert l. l. p. 28.

quod id, quo contagium contineretur, unguibus eraderent, atque propterea ad illud melius accuratiusque cognoscendum microscopium et quidem optimo successu adhibuit. Raspail acarum scabiei, quem Renucci reppererat, descripsit <sup>59)</sup>, simul demonstravit fraudem, in quam Galès viros doctos acaro scabiei suo impulsisset, atque indicavit, quemadmodum jam pathologia et therapia scabiei commutaretur. In Germania quoque Stannius et Koehler Berolini acarum scabiei observaverunt. Itaque hoc animalculum in systema zoologicum introductum et a multis viris doctis descriptum iconibusque repraesentatum est; his vero, quae ratio sit inter illud et scabiei exanthema, usque ad hodiernum diem nondum diremta est.

Acarus exulcerans (Linné), Sarcoptes exulcerans, Acarus scabiei, Cheyletus scabiei (Cloquet), Syro (Moufet), nunc vulgo Sarcoptes hominis nominatus secundum sententiam, quam Dugès <sup>60)</sup> proposuit, pertinet ad classem Arachnidum, tribum Acaridum, genus Sarcoptarum. Genus Sarcoptarum distinguitur his signis: octo pedum quatuor anteriores proxime a fine anteriore corporis inserti sunt, quatuor posteriores autem in fine posteriore collocati longe ab anterioribus distant, omnes octo vero, vel saltem quatuor anteriores exeunt in ambulacria (Raspail) sive arolia (Nitzsch <sup>61)</sup>), quibus sarcoptes ab acaro folliculorum <sup>62)</sup> distinguitur; sarcoptes hominis autem eo differt ab aliis speciebus sarcoptae, quae in cute animalium reperiuntur, quod tantum quatuor pedes anteriores in ambulacria simplicia exeunt, quatuor posteriores autem setis longis instructi sunt, quum in sarcopte equi omnibus octo pedibus ambulacria sint. *Sarcoptes hominis*

59) Untersuchung und Naturgeschichte des Inhalts der Krätze aus dem franz. von G. K. Lpz. 1835 cum tab.

60) Annales des sciences naturelles. 2me Serie. 1834. T. I.

61) Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften v. Ersch und Gruber. Vol. I.

62) Hoc animalculum Gust. Schmidt a. 1842 Berolini detexit; imago ejus reperitur in J. Vogelii Iconibus histologico-pathologicis. Tab. XII.

longus est  $\frac{1}{3}$ "", latus  $\frac{1}{4}$ ". Pedes anteriores, ut Höfle <sup>63)</sup> dicit, quinque articulis compositi setisque instructi sunt et in ambulacria exeunt, i. e. in petiolos satis longos, cavos, in parte antica in formam globuli amplificatos; Jul. Vogel iconibus <sup>64)</sup> secundum descriptionem animalculi, quam Raspail exhibet, delineatis repraesentat pedes anteriores sex articulis compositos, breves et crassos; pedes posteriores multo angustiores, praecipue primum eorum articulum tenuissimum, sequentes quatuor quidem crassiores, attamen angustiores, quam in pedibus anterioribus, articulum ultimum in aculeum longum exeuntem. Bourguignon <sup>65)</sup> distinguit sceletum internum, quo constituitur apparatus motionis et apparatus ad sumenda nutrimenta destinatus. Apparatum motionis efficiunt tres portiones sternales alia juxta aliam positae; ad processus anteriores portiones mediae primum par pedum applicatur, ad laterales portiones sternales par alterum; pes constat serie articulorum orbicularum, et ultimus tantum articulus est appendix cava in ambulacrium exiens. Simile est sceletum pedum posteriorum in setam exeuntem. Inter primum par pedum conspicitur proboscis capiti similis, in qua regio oris quatuor setis instructa est; in inferiore facie hujus partis animadvertuntur duae maxillae fortissimae <sup>66)</sup>, fissura sejunctae, quae motione spontanea altera ad alteram admoveri possunt. Oculi aliaque sensuum instrumenta dignosci nequeunt. Caput et pedes prae se ferunt colorem rubiginis lucidioris, reliquum corpus colorem subalbidum. Truncus est formae ovatae, in marginibus pluribus incisuris instructus: facies dorsii in formam tuberi convexa et subaspera. In facie dorsii conspiciuntur multae prominentiae conicae, mul-

63) Chemie und Mikroskop am Krankenbette. Erlangen 1848. p. 41.

64) Icones. Tab. XII. f. 8. 9.

65) Rech. entomol. et pathol. sur la gale de l'homme, übers. v. Henoch. Berl. 1848. p. 6.

66) Höfle l. I. p. 41.

taeque lineae transversae et arcuatae partim parallelae decurrentes, praeterea quatuor series excrescentiarum emboli formam fere referentium, denique in posteriore ejus margine plures setae. Pariter etiam in inferiore corporis facie animadvertuntur lineae transversae et arcuatae atque ex loco, ubi proboscis inseritur, utrinque linea subrubra, quae ambae lineae in linea media junguntur et hic aliquantulum spatii percurrunt; similes lineae subrubrae oriuntur e locis, ubi pedes inseruntur. Setae tantum solitariae reperiuntur in inferiore corporis facie. Mares sarcoptae hominis minores, quam feminae, et longioribus pilis instructi esse dicuntur. Dr. Tameit a. 1845 Pragae permagnum sarcoptem hominis monstravit, quem ipse cera finxerat<sup>67)</sup>. — Eichstedt<sup>68)</sup> saepe in ventre sarcoptarum hominis adulatorum ovum vidit, porro oesophagum, si animal in oleum immisum glutire cogebatur, ventriculum cum motibus peristalticis, atque etiam anum; — et Bourguignon<sup>69)</sup> quoque in partibus apparatus ad sumenda nutrimenta destinatum constituentibus affert oesophagum et rudimenta intestini cum ani orificio. Praeterea Eichstedt musculos in pedibus anterioribus, tergo et ventre cognovit. Multi naturae scrutatores hoc animalculum arachnidibus trachea praeditis adnumerant<sup>70)</sup>, Bourguignon<sup>71)</sup> vero tracheam ei esse negat et respirationem ore et oesophago perfici affirmat. Bourguignon adeo ganglion nervorum in hoc animali se conspexisse contendit<sup>72)</sup>. Hertwig<sup>73)</sup> coitum sarcoptarum

67) Oppenheim. Zeitschr. Vol. 39. fasc. 2. Hamb. 1848. p. 293.

68) Froriep Notizen 1846. Vol. 39. p. 267.

69) l. l. p. 9.

70) v. c. Milne-Edwards Zoologie, übers. v. Carl 1845. p. 196.

71) l. l. p. 40.

72) l. l. p. 11.

73) Untersuchungen über die Haut und über die Krätze oder Rädemilben v. Gurlt u. Hertwig. Ed. II. Berl. 1844. p. 40.

equi observavit; tertio vel quinto die post coitum femina ovulum peperit; Bourguignon<sup>74)</sup> sarcoptas semper sine alterius individui auxilio se propagare valere censet. In concilio vicesimo quinto, quod naturae scrutatores et medici Germaniae a. 1847 habuerunt, Dr. Debey cum iis communicavit observationes suas de ratione, qua sarcoptes se propagaret; secundum hunc virum doctum ovulorum receptacula hujus bestiolae sunt globuli in sacculo feminae adhaerente, qui globuli ab initio oblongi et basi lata feminae annexi sunt, paulatim vero crescunt, ita ut tandem sarcoptem ipsum magnitudine longe superent, simul vero basis globulos cum corpore conjungens paulatim angustior fit, et postremo hac basi omnino soluta globuli decidunt<sup>75)</sup>. Eichstedt evolutionem sarcoptae hominis accurate disquisivit atque in scabiei cuniculis ovula sarcoptae invenit, quae in una serie vel parallela aliud juxta aliud collocata, singula usque ad dena, in cuniculis sita erant et saepe in variis evolutionis stadiis versabantur. Ad hanc observationem tantum perveniri potest, si totus scabiei cuniculus forfice Couperii exciditur. Ovulum recens partum fere  $\frac{1}{2}$ '' longum et  $\frac{1}{3}$ '' latum est<sup>76)</sup>, ovula matura<sup>77)</sup> operculo vitreo compressa dissiliunt, ita ut sarcoptae neonati evacuentur. Sarcoptes neonatus, ubi ex ovulo erepuit,  $\frac{1}{4}$ '' —  $\frac{1}{8}$ '' longus et  $\frac{1}{2}$ '' latus est, caput et pedes anteriores iisdem organis sarcoptae adulti aequales sunt, pro quaternis vero pedibus posterioribus tantum binos habet (ut jam Karsten sarcoptem hominis sex pedibus instructum icone depinxit). Sarcoptae, ut alii acari, vetere cuticula exuta novam adipiscuntur, et quidem, ut Eichstedt affirmat, adeo saepius, quam semel, sed jam post primam cuticulae mutationem sarcoptae octonis pedibus instruuntur.

74) l. l. p. 10.

75) Allgemeine medicinische Central-Zeitung, 1847. No. 79.

76) G. Schmidt, die Hautkrankheiten cet. Tab. VII. fig. 11a.

77) ibid. fig. 11b.

Ut Schmidt <sup>78)</sup> refert, capitis pedumque motiones imprimis conspicuae sunt, si animalculum e temperatura frigidioris in calidioris transfertur. Ex observationibus maximi momenti, quas Eichstedt fecit, elucere videtur, *sarcoptes hominis*, ubi ex ovulo crepserit, statim locum suum relinquere, alioque magis minusve remoto cutis loca epidermidem perforare, ut sub ea vetere cuticula deposita novam induat; fortasse pedes anteriores et posteriores *sarcoptarum*, qui interdum in scabiei cuniculis reperiuntur, reliquiae hujus processus sunt. Plumbe <sup>79)</sup>, auctor paulo antiquior statuit, insectum in liquore irritatione producto vivere non posse, et propterea e vesicula decedere. *Sarcoptes*, simulac sub epidermidem pervenit, sub ea vel epidermidis sulcos sequens vel via sinuata procedit. Raspail memorat illum setis in tergo collocatis impediri, quominus recedat. Bourguignon <sup>80)</sup> affirmat *sarcoptes* tantummodo, si cuniculus scabatur et fricetur, locum suum relinquere, alioquin vero in eodem cuniculo manere et quolibet spatio 24 horarum millimetrum unum procedere. — Eichstedt denique et Heyland <sup>81)</sup> in cuniculis corpuscula  $\frac{1}{4}$ '' longa, ovata, coloris fuscii vel flavescens animadvererunt, quae iis faeces *sarcoptarum* esse videntur.

De disquisitionis methodo conferenda sunt praecepta praeclara, quae Höffe in libro „*Chemie und Mikroskop am Krankenbette*“. Erlangen 1848. p. 42. proponit.

Albin-Gras experimenta instituit, quamdiu *sarcoptes hominis* in variis substantiis vitam agere valeat, quorum eventus hic erat: In aqua pura ille post tres horas adhuc vivit, in acido sulphurico diluto tres sexagesimas horae partes vitam servat, inter flores sulphuris post horam adhuc vivus est, in vaporibus sulphuris 16 sexag. per-

78) l. l. p. 281.

79) On diseases of the skin. Edit. II. 1827. p. 306.

80) l. l. p. 14.

81) De acaro scabiei humano. Diss. inang. Berol. 1836.

durat, in aqua salsa exactis tribus horis ejus motiones jam debiles sunt, in oleo olivarum post duas horas adhuc vita fruitur, in aqua calcis 45 sexag. vivit, in aceto, in spiritu vini et in solutione kali carbonici 20 sexag., in solutione kali sulphurici 12 sexag., in spiritu terebinthinae 9 sexag., in solutione acidi arsenicosi 4 sexag., solutio kali hydrojodici concentrata eum citissime necat, in creosoto, alkalibus et acidis mineralibus animalculum moritur, simulatque immergitur; viribus infestis non expositum, sed a cute remotum animal quinque vel sex dies vitam continuat <sup>82)</sup>. Hertwig haec experimenta in *sarcoptis bestiarum* repetivit. In experimentis, quae Walz, Wirth <sup>83)</sup> et Hertwig <sup>84)</sup> fecerunt, *sarcoptes* perit in aqua frigida post septem vel octo dies, in temperatura + 25—30° sec. Reaum. post decem dies, acido pyroligioso et petroleo post 3 sexag., in equorum urina post 2 dies, hepate sulphuris post 5 sexag., in solutione sublimati post 20 sexag., in ammoniaco caustico post 30 sexag., in infuso belladonnae post 2 horas, in infuso hyocyami post horam cum dimidia, in infuso hellebori albi et nigri post 45 sexagesimas.

Experimentis, in quibus *sarcoptae* cuti hominum sanorum insiti sunt, probatum est, circiter 16 dies post insitionem praeterire, priusquam scabies erumpat; primae scabiei papulae et vesiculae apparent quidem in scabiei cuniculis vel proxime ab iis, neque tamen ulla communicatio earum cum cuniculis cognosci potest; seriores vero locis erumpunt, quae nullum acari vestigium praese ferunt; scabiei pustulae demum multo serius oriuntur <sup>85)</sup>.

82) Recherches sur l'acarus de la gale de l'homme. Paris 1834. p. 27—29.

83) Lehrbuch der Seuchen und ansteckenden Krankheiten der Hausthiere. Zürich 1838. p. 387.

84) Magazin für die gesammte Thierheilkunde. Berl. H. II. p. 197.

85) Monneret et Fleury compend. de médec. pratique. Paris 1842. T. V. p. 244.

Variae opiniones de ratione, quae intercedat inter sarcoptem hominis et scabiei exanthema, hae sunt:

1. Sarcoptae hominis prorsus nullus nexus causalis est cum scabiei exanthemate, sed exanthema omnino sui juris est, et animalculum aut fortuito adest, postquam extrinsecus ad corpus pervenit, ut pediculus capitis in tinea, et varii parasiti in ulceribus scorbuticis, aut productum est sordibus et decompositione secreti cutis, pravis domiciliis et iniqua tempestate effecta, ex generatione aequivoeca ortum. Hanc opinionem protulit Astruc, postea Karsten<sup>86)</sup>, eandemque Pentzlin<sup>87)</sup> et Puffer<sup>88)</sup> repetiverunt; secundum illos igitur sarcoptes hominis est parasitus quidem exanthematis scabiei, sed ab illo omnino sejungendus, atque potissimum in regionibus calidis, quarum incolae sordibus maxime laborant, in hoc exanthemate generatur, quare maximi sarcoptae hominis in Corsica, Italia et Gallia reperiuntur.

2. Sarcoptes hominis non est causa, sed sequela sive productum exanthematis scabiei. Quum in scabie non semper productum ejusmodi inveniri possit Sauvages scabiem verminosam speciem peculiarem esse statuit. Scabiei exanthema igitur variae naturae esse potuit: 1) morbus cutis mere localis, qualis morbi viribus externis provocantur, morbus cutis spontaneus, qui dicitur; aut 2) symptoma kakochymiae sanguinis; aut 3) morbus secundarius metastasin vel crisin exhibens, aut denique 4) symptoma morbi nervorum periphericorum<sup>89)</sup>. Itaque etiam secundum hanc opinionem necesse esset, sarcoptem hominis, animal, in liquoribus exanthemate productis, generatione aequivoeca oriri posse, quod quidem jam a priori omni

86) l. l. p. 26.

87) Graefe's und Walther's Journal. Vol. 24. fasc. III. p. 483.

88) Oesterreichische Zeitschrift für Homöopathie. Vol. II. fasc. 2.

89) Ideen zu einer philosophischen Begründung der Heilwissenschaft. Brschw. 1847. p. 91.

probabilitate caret; nihilominus etiam recentioribus temporibus Clarus, professor Lipsiensis, hanc hypothesin defendit<sup>90)</sup>. — Scabiem esse symptoma dyscrasiae sanguinis, plurimi censuerunt; Autenrieth, Hahnemann, Bremser, novissimis temporibus etiam Devergie<sup>91)</sup>, medicus nosocomii Sti Ludovici, peculiarem dyscrasiam, qua scabies efficeretur, statuerunt, sed contagium vivum, quo haec dyscrasia produceretur, negaverunt, et potius dyscrasiam auxilio lymphae in vesiculis vel pustulis scabiei formatae ex homine in hominem transferri opinati sunt. Alii arbitrati sunt, alias dyscrasias in forma scabiei in cute apparere, v. c. scrophulosin, syhilidem<sup>92)</sup>, scorbutum. Quum vero ignorari non posset, incommoda totius corporis valetudinem afficientia eruptione scabiei minui et adeo omnino tolli, inter exanthema et morbum minutum eum connexum esse opinati sunt, ut scabies critica statueretur, quam praecipue verno tempore apparere crederunt. Selle dicit hanc formam criticam raram esse, in castris oriri, adeo febre stipari, atque imprimis raphaniam<sup>93)</sup>, febres intermittentes et melancholiam extinguere videri. Fabricius Hildanus, Rivière et Pringle huic opinioni adstipulantur, Leubuscher<sup>94)</sup> adeo se vidisse affirmat scabiem fuisse criticam in morbis animi. Propter hanc opinionem altero seculi praeteriti dimidio interdum consilium datum est, ut scabies ad corpus a variis morbis tuendum inseretur<sup>95)</sup>, atque ex eadem prodiit metus scabiei repulsae sive unguentis suppressae, quae quidem repulsio vere fieri potest sed falso explicabatur.

90) Schwartz de sarcopte hominis; diss. inaug. Lips. 1837. p. 19—26.

91) Gazette des hôpitaux. 1847. 18. Mars.

92) Selle l. l. p. 246.

93) l. l. p. 341.

94) Ueber Reconvalescenz des Wahnsinns, in: Allgem. Zeitschrift für Psychiatrie. Berl. 1846. Vol. III. fasc. 1.

95) Cf. v. c. Cammerer, diss. de efficacia insitionis scabiei in gravioribus quibusdam morbis chronicis curandis, Tubing. 1781.

Quum omnes medici in eo consentirent, scabiem ex homine in hominem transferri posse, multum intererat detegere, quid contagium contineret atque infectionem efficeret. Hypothesin, quam proposuit Haase <sup>96)</sup>, exstare miasma scabiosum, hic tantum propterea commemoramus, ne tuam opinionem omnino neglexisse videamur. — Lympha in vesiculis et pus in pustulis scabiei diu in his disquisitionibus maxime respiciebatur, — postea vocabulo barbarico omisso pro „lympha“ dixerunt „serum“, neque tamen hac mutatione ad veritatem ullos profectus fecerunt. Willan et Bateman <sup>97)</sup> hanc opinionem amplectuntur, et alter eorum praesentiam sarcoptae hominis in scabie non esse constantem, sed tantum rem fortuitam censet. Etiam Rayer in contentis vesicularum scabiei contagium inesse contendit. Jam a. 1805 Autenrieth, deinde a. 1812 Mouronval et Lugol, postea Albin-Gras, Emery et Aubé his contentis fluidis scabiem in homines sanos transferre frustra conati sunt. Disquisitionibus diligentissimis, quas Koehler <sup>98)</sup>, Sonnenkalb <sup>99)</sup>, Deutschbein Halis Saxonum <sup>1)</sup>, Hebra <sup>2)</sup>, Eichstedt <sup>3)</sup> pluresque alii viri docti instituerunt, tandem demonstratum est, serum et pus e vesiculis et pustulis scabiei scabiem ex homine in hominem transferre non valere. Schubert <sup>4)</sup> etiam novissimis temporibus in lympha exsiccata contagium contineri opinatus est. — Contenta vero cani-

96) l. l. § 610.

97) l. l. p. 273.

98) Med. Zeitung v. Vereine für Heilkunde in Preussen. 1836. No. 9.

99) De scabie humana diss. Lips. 1844. p. 23.

1) De acaro scabiei humano diss. Halis Saxonum 1842. pag. 38.

2) Oesterr. Jahrb. 1844.

3) Zeitschr. der Gesellschaft der Aerzte zu Wien. 1846. fasc. 5.

4) Zeitschr. der Gesellschaft der Aerzte zu Wien. 1846. Vol. 1. p. 366.

culorum scabiei, exceptis particulis quibusdam indifferentibus, tantum sarcoptis hominis eorumque ovulis constant, itaque per exclusionem a priori statuere licet, sarcoptas vel eorum ovula contagii vehicula esse. Atque rem vere ita se habere, experimentis satis demonstratum est, quibus, quum a viris doctissimis clarissimisque instituta sint, fides omnino habenda est.

Experimentis in semet ipsis aliisque hominibus institutis primum (a. 1790) Hecker <sup>5)</sup> Erfurti, deinde Renucci Parisiis, Albin-Gras <sup>6)</sup> (a. 1834), Pariset <sup>7)</sup>, praecipue vero Koehler et Heyland <sup>8)</sup> Berolini, Adams et Hebra <sup>9)</sup> sarcoptas hominis contagium continere evidentissime demonstraverunt, atque etiam Gurlt et Hertwig experimentis, in quibus sarcoptes animalium in animalia sana transferebant, ad probandam hanc sententiam contulerunt; accedit, quod sarcoptis per longius temporis spatium a cute scabiosorum diligenter collectis et ablatis etiam sine ullo medicamentorum usu scabies evanuit. Cazezave, medicus nosocomii Parisiensis Sii Ludovici, saepe experimenta instituit, in quibus sarcoptas animalium in homines transferebat, atque nominatim camelorum et equorum sarcoptae facillime scabiem in hominibus provocaverunt <sup>10)</sup>. — Denique vero propter causas physiologicas statui potest, tantum sarcoptarum feminas praegnantes et ovula scabiem propagare, minime vero mares, ad quam sententiam probandam primum Walz, deinde Gurlt et Hertwig et Hering, professores scholae veterinariae, quae Berolini floret, documenta prae-

5) Cf. Wichmann l. l. p. 197.


6) Schmidt Jahrbücher. V. p. 360.

7) Rieke, Handbuch über die Krankheiten der Haut. Ed. II. Dresd. 1841. p. 117.

8) Dissert. I.

9) Wiener Jahrbücher. 1844. fasc. mensium Martii, Aprilis et Maji.

10) Allgem. medic. Centralzeitung. 1848. No. 76.



buerunt<sup>11)</sup>. Ubi mares, quos minores feminis esse jam commemoravimus, insiti erant, tantum irritatio cutis insitione ipsa producta oriebatur, quae non ita multo post evanescebat, minime vero infectio totius corporis.

3. *Sarcoptes hominis* morsu suo, coque, quod in cutem intrat et in ea moratur, directa via scabiei exanthema in cute provocat; exanthema mere locale est, etenim ubi *sarcoptes* intrat, ibi scabies est, aliis locis non est. Hanc hypothesin jam amplexi sunt Scaliger (a. 1557), Aldrovando (a. 1623), Mufet (a. 1634), eandemque Bonomo proposuit et Hildebrand<sup>12)</sup> repetivit, atque Anbé<sup>13)</sup> ejus veritatem eo demonstrari censet, quod *sarcoptes* noctis tempore huc illuc curset. Ex hac hypothesi, si vera esset, sequeretur, ut scabies, si v. c. manus hac ratione infecta esset, tantum tarde per reliquum corpus propagaretur, atque si diligenter prohiberetur, quominus manus infecta reliquum corpus tangeret, scabies in alias corporis partes prorsus non progredere-tur. Neque vero res ita se habet, nam Hebra, etsi sedulo curavit, ne dextra manu sua, in quam *sarcoptem* transtulerat, alias corporis partes tangeret, tamen haud multo post in sinistra manu scabiem erumpentem vidit, quamquam in hac sinistra manu omnino nulli scabiei cuniculi inveniri poterant. Experimenta ejusmodi Hebra multa fecit, omnibusque semper ea sententia probata est, quam veram esse nostris temporibus jam certissime edicere liceat, nimirum:

4. *Sarcoptem hominis* esse contagium vivum, morbumque contagiosum in corpore generare, cujus symptoma scabiei exanthema sit. Si nonnulli viri docti di-

---

11) *Magazin für die gesammte Thierheilkunde.* Brl. fasc. II. p. 198.

12) *Bemerkungen über den Krätzausschlag.* Hann. 1798. p. 7.

13) *Considerations sur la gale et Finsect, qui la produit.* Paris. 1836.

cunt<sup>14)</sup>, scabiem esse symptoma reactionis corporis contra irritationem, quam acarus in cute provocaverit, illi eandem sententiam verbis modo aliis proferunt. Bourguignon tantum quadamtenus statuit, *sarcoptem* contagium esse, eumque demum diutius commorando cum corpore specificum principium toxicum communicare opinatur; quamquam plurimis ac diligentissime factis insitionibus *sarcoptae* satis certo exploratum est, quantum temporis spatium incubationis stadium complectatur. Huic rationi, quam inter *sarcoptem* et scabiem esse modo diximus, analogica est ea, quae vibrioni lineolae et trichomonadi vaginali, quae animalcula Donné invenit, cum syphilide intercedit, et insecto cholerae, quod nonnulli falso statuerunt, cum cholera orientali, et quae in morbo bombycis obtinet, quem Francogalli „*muscardine*“ appellant. — Itaque etiam error non est, si *sarcoptes* tantum singulis cutis locis reperitur, scabies vero per totum corpus diffusa est; ut Stannius *sarcoptem hominis* tantum in scabiei vesiculis in manibus obviisse invenisse contendit, atque hic parasitus potissimum in manibus pedibusque, raro in genibus, raro in faciei partibus sedem suam habet. — Experimentis observationibusque ejusmodi atque ex iis deducta ratiocinatione sustentatur etiam sententia, existare scabiem constitutionalem, quae corporis infectione constet, cui infectioni eruptio scabiei in cute succedat. Qua re haec infectio constet, qua ratione corporis succi mutati sint, nobis ignotum est; *sarcoptes* facultatem inficiendi exercenda hac facultate non amittit, non ipse in succorum mixtionem transit, infectio sanguinis per katalysin efficitur. Nihilominus sanguis infectus facultate inficiendi caret; nam quae experimenta ante duo fere secula King, Anglus, et nostris temporibus Hertwig<sup>15)</sup> ad solvendam quaestionem, num sanguis scabiosorum inficere valeat, instituerunt, ei hanc facultatem

---

14) *Deutschbein* I. I. p. 43.

15) *Magazin für die gesammte Thierheilkunde.* Brl. fasc. I. p. 118.

deesse docuerunt; eademque deroganda est contentis efflorescentiarum scabiei, quamquam e sanguine secreta sunt, et salivae scabiosorum<sup>16)</sup>. — Ubi autem contagium extinctum est, morbus scabiei, si jam diu perduravit, etiam sine contagii fundamento suis ipsius viribus aliquamdiu, attamen tantum breve tempus, continuari potest, infectionem vero tum fieri jam non posse, per se intelligitur.

Quaestio porro est maxima attentione digna, num quilibet homo ad recipiendum sarcopten aptus sit. Manifestum est, contactum directum locorum corporis scabie affectorum, vel corporum mortuorum, in quibus sarcoptae versantur (contagionem directam vel indirectam), propter contagium admodum fixum omnino necessarium esse, attamen etiam, ubi contactus ejusmodi locum habuit, aliae rationes receptionem sarcoptae, vel, quod fortasse rectius dicendum est, scabiei evolutionem et diffusionem per corpus impedire, aliae vero adjuvare videntur. Quamquam permulti medici continuo curandis aegrotis scabie laborantibus operam navant, tamen raro unus alterve hoc fastidioso morbo corripitur. Munditia in universum aperte tutelam praestat a contagio, quum contagium per contactum temporis et spatio adstrictum sit. Porro homines, qui continuo versantur inter res adstringentes, acidas, talesque, quae fortasse gasa insecta necantia exhalant, ab hoc contagio immunes fiunt: v. c. opifices metallorum, fabros ferrarios, pistores, murrum structores, tinctorum, pileorum confectores, coriarios, saponis fabricatores fere nunquam scabie affici videmus, atque in vicinia officinarum arsenici et plumbi sarcopten hominis aliaque insecta noxia omnino non reperiri scimus. Homines amplius triginta annos nati scabie raro corripuntur, atque etiam iis, qui morbis animi laborant, immunitas ab infectione scabiei adscribitur. Quod non in omnibus hominibus experimenta insitionis succedunt, nobis

---

16) Deutschbein l. l. p. 37.

permittit, ut quosdam homines a scabiei contagio immunes esse statuamus, ad quam sententiam probandam Erdmann<sup>17)</sup> morbi historiam magni momenti enarrat. Praeterea vero in singulis regionibus hominum scabie laborantium numerus minor esse videtur, quam in aliis; quin etiam genius stationarius forsitan statui possit; Caira, urbe Aegypti, in Corsica<sup>18)</sup>, in Italia, in Hispania scabies morbus frequentissimus esse fertur, sed etiam in Grönländia. — Cutis vero immundities, aër corruptus, mucidus humidusque et victus pravus („victu acris, salso, pingui nascitur“ — Plenck<sup>19)</sup> scabiei propagationem tam in uno eodemque homine, quam ex homine altero in alterum maxime adjuvant. Propterea in carceribus scabies creberrime atque in foedissimo gradu grassatur; propterea in universum infimas populi classes infestare solet, quas inopia vel stupida socordia impedit, quominus ad cutis culturam curam necessariam conferant. Praeterea cutis tenera succorumque plena, qualis puerorum est, proclivitate ad sarcoptem citius recipiendum affert. Mares in universum scabie saepius laborare dicuntur, quam feminae. Sartores, feminae acu opus facientes, sutores, textores tonsoresque pannorum, bibliopegi, opifices scriniorum saepius, quam alii opifices, scabie infestantur, cujus rei causam eam esse crediderim, quod sarcoptes, quum variis pannis, linteis, lanae, pellibus, glutini facile et firmiter adhaereat, iisdem rebus etiam facilius et certius ex homine in hominem transferri possit. Frequentissime autem sine dubio transfertur scabies directo contactu locorum cutis scabie affectorum, quare usus ejusdem lecti infectioni ma-

---

17) l. l. p. 242.

18) Auctor Corsicanus intelligentiam, sedulitatem ingeniumque incolarum urbis Sartenae privilegio adscribit, secundum quod tantummodo hominibus scabiosis in ea habitare licet.

19) l. l. p. 42.

xime favet; itaque Aubé<sup>20)</sup> experimentis hoc consilio factis nixus verissime dicit, sarcopten esse animal nocturnum, quod cimicis instar noctu praedam suam multis locis petat, prima luce vero in cuniculum suum obscurum redeat. Observata sunt exempla infectionis in coitu factae<sup>21)</sup> et infectionis infantium lactentium per nutricum mammas provocatae.

Qui semel scabie laboravit, hac re non liberatur praedispositione ad eam, immo brevi tempore post diligentem perfectamque scabiei curationem contagium multo facilius excipi videtur. Morbum hereditarium esse statuere non licet; prioribus tamen temporibus nonnulli medici hujus opinionis fuisse videntur<sup>22)</sup>.

---

20) Archiv. génér. de médéc. Nov. 1836.

21) Tissot, von der Onanie, bearb. v. Crusius. Ed. III. Lps. 1834. p. 95.

22) Cf. Acrell, tal om forstrets sjukdomar i moderlifvet, 13. Oct. 1750 in Haller Tagebuch der medic. Litt. f. 1751. Bern 1791. Vol. II. p. 373.

## Therapia.

Alle Virus können getödtet werden,  
da sie leben.

Hameau, Studien über die Virus.

Quo plures medicorum libros perlustramus, crescit nivium instar vento cumularum remedium, quae contra scabiem commendantur, numerus, quem coercere ne nostro quidem seculo critico contigit. Quae remedia, si omnia enumerarem, satis languida existeret farrago, enumeranda mihi forent e sulphure praeparata varia, alcalia et saponis, praeparata ex hydrargyro, arsenico, mangano, zinco, jodio, acida mineralia, aqua adeo frigida, medicamentorum vegetabilium longa series, in qua summum locum tenent fuligo, pix, creosotam, helleborus, cortex quercus, rad. helenii, nicotiana, sabadilla, staphysagria, neque praetermittenda essent calcaria carbonica, sulphur et materia scabiosa ab homöopathicis adhibita<sup>23)</sup>, — et tamen non absolutam crisis generum curandi, minusque perfectam processus therapeutici deductionem praestarem. Sulphur omnino remedium maximi momenti, quo contra, atque arsenico, acidis mineralibus fit, cutis vita illaesa acari scabiei vita extinguitur. Hac enim medicina, uti diximus, quamvis acriter recentiore tempore vituperata, contagium vivum enecatur, quod vel illa pericula ab Albin - Gras extraordinem facta probant; quodsi contagium esse desinit, morbus scabiosus, modo mundities, lavationes et balnea adsint, per se conficitur, statusque aeger ad valetudinis transitum accedit. Sulphuris et internus et externus usus. Id per cutem secerni experientia quotidiana docet,

---

23) Walther's und Graefe's Journal. Bd. XXIV. p. 477.

unde elucet sulphuris usu interno contagium cuti inhaerens deleri posse.

Non possum tamen, quin ad calcem scabiei curationem commemorem, quae me haud parvum numerum scabiosorum tractantem, raro tantum destituit. Lecta commentione Schroetteri, doctoris Coepenikensis <sup>24)</sup>, fuligine splendente uti coeptus sum, quod remedium non improbandum visum est, quum jam creosotum et pix contra scabiem adhibita essent, brevique prosper apparuit processus. Conteritur pars una fuliginis cum duabus partibus vel cum una dimidiataque adipis, quo unguento ubi scabies late se effudit, totum corpus, si minus, manus tantum pedesque sub vesperum inunguntur, aegroti cibus parcus permittitur, mane subsequenti balneum tepidum et saponis Rossici vulgaris usu sordes abstergantur. Haec ratio continuatur donec papulae nullae vesiculaeque recentes existant; plerumque intra quinque dies scabiem expellere contingit. Haec curatio tam simplex, medicina tam parabilis, ut digna sit, quam et alii adhibeant. Illud tamen incommodi habet, quod adeps et fuligo lintea afficiant, at idem fere efficit unguentum sulphuricum; deinde habitus sordidus aegrotorum et linteorum obstare posset, verum is habitus compensatur foedore, qui unguento sulphurico plerumque adhibito existit.

Nisus experientia operas in fodinis manganicis nunquam scabie vexari, indeque colligens et manganum vitae acari scabiei infestum esse, hyperoxydo mangani usus sum, forma unguenti ex partibus tribus cum 16 p. adipis, — verum confiteor, me non admodum prosperum successum hujus remedii nactum esse.

Ceterum in nosocomiis Rossicis unguento sulphurico unius partis cum quatuor p. adipis bis quotidie loco calido partes scabiosae inungi solent. Hoc unguentum illis officinale et publice mandatum est.

---

24) Med. Zeitung. 1843. No. 25.

## Theses.

1. Erysipelas non est exanthema.
2. Aetherisatio ad musculos relaxandos non sufficit.
3. Portae herniarum semper sunt congenitae.
4. Amputationi exarticulatio est praeposenda.
5. Tracheotomia in laryngitidis infantum curatione saepe est facienda.
6. Viragines hermaphroditis sunt adnumerandae.